



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. XXXVII. Adolescens clericus, Virginis simulacri dexteram annulo exornat; imago uerò annuens manum perstringit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

tus exsultans surrexit; quod etiam labra, & lingua è deformissimis, ac ferè diuulsis, forma, & ornamento suo recepto indicabant. Ipse uerò postea ad Deum, Virginemq. sua omnia consilia, & cogitationes referès, pio uitae genere instituto, se religione adstrinxit.

MIRAC. VIRG. XXXVII.

Adolescens clericus, Virginis simulacri dexteram annulo exornat; imago uerò annuens manum perstringit.

Aliquot adolescentuli clerici propè templum pila ludebant. Vni ex illis erat annulus, munus ab adolescentula amica misũ. Quia uerebatur, ne annulus è digito, dũ ludebatur, caderet, aut frangeretur; in proximum templum accurrit, ibi interim detractum annulum depositurus. In ipso templi limine statim pulcherrimum Virginis simulacrum, quod marmoreum erat, occurrit. Ante eius pedes se adolescens prouoluens, tu, inquit, illã pulchritudine exsuperas, quae mihi annulum donauit. iccirco te solam amare statuo. quae cum dixisset, digitum marmoreum annulo exornauit. Ipsum uerò simulacrum, res dictu mirabilis, pueri uotis annuens, manum illo accepto perstringit. Id cum plurib. ab adolescente fuisset expositum, eum omnes hortabantur, ut reb. omnib. relictis, se totum Virgini, eiusq. filio traderet. Sed adolescentem diuitiarum copia longè ab instituto amouebat. Ex illis. n. communis hominum pernicies prodit; per eas fit, ut à ratione dissentiamus, & à praeclaris coeptis recedamus. Itaq.

paucis

paucis post dieb., se ille matrimonio adiunxit. At Virgo, post nouam nuptam domum deducta, se adolescenti in somnis obtulit, annulū ostendens, ipsumq. perfidiae nomine accusans. Ille somno solutus, quia Virginis imago postea effugerat, uanum esse somniū existimans, nondum ab uxore animum auertere decreuerat; sed manebat etiam in priori sententia. Verū iterum dormiens ipsam ualde iratā, grauiusq. minantem uidit, & ora auertentem. Ea res adolescenti tantum terrorem incusit; ut noua nupta relicta, ex affluētib. diuitijs in solitudinem paupertatem quaesitum iuerit. Quare ibi se Deo, & Virgini uouens, promissae fidei, annuliq. sanctissima foedera, factus monachus semper constanter obseruauit. immortalem. n. sponsam sibi salua uirginitate maluit, quā mortale illā, cui integra puritate, saluaq. fidei promissione, ac foedere, minimè inferuire poterat.

MIRAC. VIRG. XXXVII.

Mulier à filio compressa editum partum necat, tandem à caecodaemone in iudicio accusata, Virgine aduocata, quam ex animo inuocauerat, utroq. crimine prius pia confessione expiato absoluitur.

Patricius Romanus assiduis uotis, ac precib. immortalis Dei benignitate filium suscepit, quem plus oculis suis amabat. Vir erga Deū pius, ardenti illo amore, quo filium prosequeretur, quotidie iacturam fieri intelligebat in ea obseruaria, & studio, quod singulare erat in bonorum omnium auctore